



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

III. De extrema-unctione, & aliis Sacramentis tempore pestis ministrandis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41699

animum ægri afficere & reficere. Quid enim melius potest æger in ore habere, quam illud: *Pater sanctificetur nomen tuum?* Aut illud: *Pater fiat voluntas tua.* Aut illud: *Adveniat Regnum tuum.* Aut denique illud: *Et ne nos inducas in tentationē, sed libera nos à malo.* Quid ad Virginem efficacius dirigi potest, quam istud: *Sancta Maria Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus nunc in hora mortis.* Aut istud: *Maria Mater gratia, Mater misericordia, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe.*

Hæc modo sufficiant de hac re breviter insinuata, de quibus forsitan fusius potero alibi ex professo disserere, Tractatu eo hac re speciali,

CAP. III. De Extrema-Vnctione & aliis Sacramentis tempore Pestis ministrandis.

Queritur, an in rigore Theologico loquendo, teneantur Pastores peste infectis Extremam-Vnctionē administrare? Resp. 1. multas Synodos Diœcesanas in Belgio videre ita ordinare, *Cambracensis T. 5. c. 10. Iprensis T. 8. cap. 1. Audomarensis Tit. 19. c. 1. Leod. T. 4. c. 8.*

Atta-

Attamen in praxi id permultas involvit difficultates.

1. Quia in Parochiis ruralibus sæpe unicus est Sacerdos, qui si domos infectas ad id ingrediatur, jam & ipse vitabitur ab iis qui sani sunt; nec Sacramenta de ejus manu suscipere volent, nec conversationem cum ipso permittent, ne periculum afferat contagionis. Etenim ob illam etiam causam, *S. Carolus* Religiosos in subsidium Sacramentorum ministrandorum tempore pestis advocare coactus fuit, quod plerique fugerent proprios Sacerdotes, qui contagiosis adfuissent, pro ut ipse testatus fuit Superioribus Religionum, & habetur *c. 6. l. 4. vite ejus*

2. Si contingit Pastorem contagio infici, & emori, multa confusio in grege solet subsequi, multa inordinatio circa Divinorum ministerium. Nec enim facile statim reperiri potest qui subrogetur: ita ut experientia docuerit per plures hebdomadas quandoque gregi non fuisse provisum de ministro. Adde, aliquos expresse docere,

quod si Parochus toti populo sit per-
 necessarius, adeo ut ejus mors magna
 sit populi desolatio & jactura, sufficere
 ut necessaria Sacramenta ministret. Ita
Sylvius q. 32. ar. 3. supplem.

3. Episcopi hoc in Synodo ordina-
 res (cum sint Pastores Pastorum) de-
 berent sollicitam curam gerere, ut de
 ipsis Pastoribus ruralibus subveniatur,
 si periculum incurrant, vel ipsis de-
 ficientibus per mortem, ut statim sub-
 stituatur idoneus minister. At ipso-
 rum aliqui, vel ob distantiam, vel ob
 neglectum, non eam quam à Pastori-
 bus ipsi requirunt, illis tunc in pericu-
 lo existentibus, vel plebi desertæ cu-
 ram impendunt. Sic forsan conqueri
 hic quis posset de aliquibus, quod *one-
 ra importabilia alligare velint, quæ ipsi
 digito nolunt movere.*

4. Extrema-UNCTIO non est de neces-
 sariis ad salutem, nec est de præcepto:
 Ergo in contagiosis morbis, in quibus
 est periculum, non videtur tam gravis
 obligatio ministris imponenda.

5. Non obstante ordinatione illa
 Syno-

Synodorum, Praxis videtur obtinere, urgente pestilentia non administrandi hoc Sacramentum, nisi fortè in urbibus, ubi Religiosi ad id se exponunt aut alii Sacerdotes charitate magis impulsivi, quàm rigore præcepti. Possemus testimonium reddere de variis locis, ubi ab Episcopis non fuere puniti aut reprehensi Parochi, qui tempore pestis ministrare Extremam Unctionem neglexerant: De *Italia* testatur *Possivinus* in plerisque locis non esse moris, ut administraretur à Pastoribus. De *Hispania* & nonnullis aliis Provinciis, idem mihi testatus est *D. Leander de S. Martino S. T. Doctor in Academia Duacena*, qui multas frequentavit Provincias.

Resp. itaque 2. generaliter loquendo, Synodales constitutiones rectè asserere id ordinariè debere fieri: ut facilè Pastores hic se non excusent, trepidantes ubi timor non est, aut ubi charitas foras debet timorem pellere. Supponunt ergo ordinariè non esse ita morale periculum, sed illud posse
vita-

vitari, tum per medicamenta præler-
vantia tum, providendo ut ægri con-
stituantur in loco ad quem securior
fit accessus, tum utendo aliquâ ob-
longiore virgulâ ad ungendum, aliis-
que præcautionibus. Cum autem his
omnibus persuppositis, vel medico-
rum, vel prudentum iudicio adhuc
morale periculum permanet, multo-
rum Theologorum sententia est non
obligari Parochos; magnæ verò per-
fectionis esse, si perituram vitam con-
temnentes, ad id se resolvant ex cha-
ritatis fervore. Huic sententiæ sub-
scribit *Suarez*, hanc Cathedræ Prima-
riæ Professor eximius *Io. Clarius* in *A-*
cad. Lovan. publicis scriptis docuit. Et
Em. Sà in Aphorismis cum multis di-
cit. *V. Parochus. Tenetur tempore pestis*
ministrare salutis necessaria Sacramenta
indicans ea quæ non sunt necessaria,
non teneri. Idem fortiori ratione do-
cerent illi qui dicunt Parochum non
teneri administrare Sacramenta, extra
tempus præcepti ad illa obligantis su-
scipientes, inter quos recensentur *Re-*

Richardus 4. d. 18. Ioan. Med. q. 37. de con-
sess. Sylvester V. Confess. 1. q. 18. Invenio
 quoque *S. Carolum* misisse ad Pontifi-
 cem, ut resolutionem haberet, an
 Pastores *Mediolani* posset cogere ad
 Sacramenta omnia administranda ur-
 gente gravissimâ pestilentia: sed cum
 omnium aliorum quæ simul poscebat
 responsum acceperit, illud dilatum
 fuit, nec resolutionem accepit. Fortè
 ne conscientis aliquorum grave ni-
 mium onus, aut laqueus inijceretur,
 res Doctorum opinioni est relicta. In-
 venio quoque eundem cum Parochos
 eorum se congregatos, sanctis ad id
 monitis extimularet, operis hujus
 perfectionem, & sublimem remune-
 rationem proponendo, addidisse se
 consultationem cum viris doctis &
 suis iniisse (quia Romana determina-
 tio non adveniebat) per quam resolu-
 tum erat eos ad minus obligari ad Sa-
 cramentum pœnitentiæ & Euchari-
 stiæ ministrandum; ergo nec de Ex-
 tremâ Unctione illi ausi sunt obliga-
 tionem affirmare. Vide *lib. 4. vita eius*

c. 3. Attamen plerique hujus Viti Sancti non solum sermone, sed & exemplo previo succensi ad omnia promptos sese obtulere. Et absque dubio si Episcopi talibus occasionibus se Carolos exhiberēt zelo & opere, repeterent & Pastores non parcentes etiam suæ vitæ.

Quantum ad Eucharistiam communior opinio est Theologorum, obligari ad eam ministrandam Parochos etiam cum periculo. Existimant enim jure divino obligari unumquemque ad eam sumendam in mortis articulo ex quo consequitur, ægro tunc petenti ministrandam esse. Nec excusationi locus facile admittitur nisi fortè paucis ante diebus (v. g. ante octiduum) æger communicaverit, in communi periculo se disponens ad Dei beneplacitum. Unde ad Eucharistiam frequenter suscipiendam hortandi sunt tunc Fideles, ut periculum suum ac Ministrorum præveniant. Ac bona praxis est, statim in aliquam domum contagium se

psent
sed &
cinia
re; c
corrip
huò c
admi
& qu
ignori
cem d
neri i
comm
pro di
te m
quod
jus es
parat
riculu
cerit
quili
lem,
men
deber
dieri
ptæc
favor
psent

pferit, non solum infectam personam,
 sed & omnes illius habitationis ac vi-
 cinia Communionem sacra præmuni-
 re; quod si post aliquot dies morbo
 corripiantur, sicut non tenentur de-
 huc communicare, sic nec minister
 administrare. Sic docent *Palud.*, *Soto*,
 & quidam alii Theologi; licet quis
 ignorans periculi mortis octo vel de-
 cem dies antè communicarit, non te-
 neri illo postea superveniente, iterum
 communicare, sed satisfacisse præce-
 pto divino. Sic enim revera paulò an-
 te mortem dicetur communicasse,
 quod vis præcepti requirit: & finis e-
 jus est, ad transitum ex hac vita præ-
 paratio. Unde licet quis ignorarit pe-
 riculum, nec reflexionem expressè fe-
 cerit ad præceptum: censetur tamen
 quilibet habere intentionem virtua-
 lem, seu implicitam, adimplendi om-
 nem obligationem, quam potest &
 debet. Sic ignorans esse Festum, si au-
 dierit Missam; censetur satisfacisse
 præcepto. Liberior hac in materia &
 favorabilius pro ministris loqui vi-
 den-

dentur, qui asserunt eum qui in Paschate communicarit, si in articulo mortis non communicet ex negligentia sine contemptu, non peccare mortaliter. Cujus opinionis sunt Sylvester Eucharistia 3. n. 3. Cajetanus v. Communio Sà ver. Eucharistia, & quidam alii.

Audiendus & in hac materia est Ant Diana, qui novissimè in p. 5. tract. 3. Resol. 53 hanc nostram sententiam & resol. citat de administranda Communionem peste infectis, ad quod obligari ordinariè Parochos, dicimus. Et tandem ait: *Sed contrarium docet Philibertus Marchinus, cum Philiarcho Magolo, Benzonio. Tabiena, & aliis Et ita definiuit Gregorius 13 anno 1572. die 10. Decembris in Epistola ad Card. Carolum Borrhomaum, nunc inter Divos relatum, sequentis tenoris, Auditis Cardinalium votis, & facta sanctissimo relatione, Sanctissimus decrevit scribendas esse simpliciter litteras ad Cardinalem. Die autem 13. ejusdem mensis Congregatio censuit scribendas esse litteras in hac formam: Parochi tempore pestis te-*
nearum

neantur omninò residere in suis Ecclesiis
 parochialibus, & si non resideant, agen-
 dum contra eos ex decreto cap. 1. sess. 25.
 & servatâ formâ ibi præscriptâ. Mini-
 strent verò Parochianis peste infectis Sa-
 cramenta Pœnitentiæ & Baptismi per a-
 lios Licet Alciatus diceret, quod ex duo-
 bus ultimis verbis, videatur prohiberi
 ne Parochi etiam volentes per seipsos hæc
 duo Sacramenta ministrent, tamen tota
 Congregatio dixit, quod ista erat mens
 Sanctissimi in prohibendo hæc Parochis,
 ad commodum Parochianorum qui sani
 essent. Hi enim verisimiliter nollent con-
 versari cum Parochis euntibus ad infir-
 mos peste. Ita sacra Congregatio. Hacte-
 nus Diana. Quæ quidem si ita sint, fa-
 vorabilia sunt Parochis.

Austeriores porrò hac in materia
 videntur illi Theologi qui volunt in-
 fundi à ministro ori illius qui contagio
 infectus est Eucharistiam, propriis
 manibus ministri, nec alium admit-
 tunt modum ministrandi: quod tamen
 omnino periculosum est, ob halitum
 ægri contagiosum. Alii varios alios
 modos

modos ministrandi permittunt & practicant, quos tamen ab Episcopis examinari optarim ; ne quidam illorum non satis reverentem Sacramenti tractationem involvant.

Quidem curant benedici particulas corporalium, in quibus Sacrum Corpus Domini deponant loco aliquo securo, ad quem ægro sit accessus ; ut ipsemet sumere possit , aut per personam assistentem sibi in ægritudine ad id adjuvari, quæ pars corporalis igni postea traditur: Alii Capsulis vel parvulis vitris utuntur è quibus æger illud ore desumit Alii aliis utuntur modis. Ego licet consultus & securius non dubitem, si propriis manibus ministrati possit, non video tamen cur in præsentissimo periculo, aliqui alii modi reprobari debeant, adjuncta tali reverentiâ quæ hic & nunc adhiberi potest sine periculo in tali rerum statu. Ratio est, quia ritus sic administrandi, ut suscipientis ori infundatur Eucharistia, est solum de præcepto Ecclesiæ; quod præceptum non videtur obligare
cura

cum tanto periculo vitæ. Nec refert de jure divino & naturali esse, ut reverenter administraretur Eucharistia: Non enim alii modi irreverentiam continent. Patet *primò*, quia olim notum est propriis manibus suscipientis sumptam fuisse; gerebant enim Fideles linteo- lum manu, quod *Dominicale* vocabatur, & in illo deponebatur Eucharistia à Sacerdote. 2. notum est sævientibus olim Tyrannis, Fideles domum Eucharistiam detulisse, vel quotidie, vel pro oportunitate sumendam. 3. etiam nostro sæculo concessit Summus Pontifex *Maria Regina Scotia*, ut in carcere asservaret sibi Eucharistiam sumendam à se, eò quod accessus non pateret Sacerdoti, ut alibi dixi. Non ergo per se est irreverentia, quod laicus ex aliquo loco securè & honestè apparatus, vel ipsemet per se, vel ope alterius Sacramentum sumat in tali necessitate, ad vigilante ipso Sacerdote, ut reverenter & cum pietate fiat. Quamvis extra necessitatem hoc nolit fieri Ecclesia, ad majorem ipsius Sacramenti



dignissimi reverentiam, & dignissimam tractationem,

Quicquid ergo hic dicat *Dianaps. resol. tract. 3.* præstat sic administrare, quam non administrare, nec ipse respondet rationibus jam adductis probantibus hic non esse per se irreverentiam. Hinc etiam aliqui Episcopi aliquem ex dictis modis admittunt. De qua re sic dicit *Iacobus Mancinus, Tract. de infirmis visitandis, præct. 8. dub. 18.* Non erit incongruum cum decenti instrumento, & debita reverentia, absque scandalo, hoc Sacramentum tempore pestis ministrare. Accedit usus assiduus quem tenet Reverendissimus D. Petrus de Marchis Archiep. Smirnensis in sua Diocesi, in qua pestis assidue urget. Post illorum confessionem Sacerdos ponit reverenter particulam consecratam super folium pagine albae extensa super scabellum, & dictis verbis, Domine non sum dignus, infirmus accedit, & linguam particulam reverenter sumit, accipitque purificationem. Interim Clericus candelam accensam in summitate virgæ paginam comburit,

burit Quem usum probabilem puto, tutaque conscientia teneri posse tempore pestis tantum Hæc ille.

Quidam etiam Theologiæ Professor Societatis sic habet: *Eucharistia tempore pestis potest dari virgulâ, in cuius extremitate sit Luna argentea, vel aurea, vel cuprea inauratâ, in qua sit Hostia communicaturo danda; vel dari potest in pixide, vel in charta vel in vitro cû vino.* Ita P. Ioannes Sebastiani, Mõtibus Hanoniæ Professor in Manuscriptis.

Quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ, tenetur tunc Pastor ministrare etiam cum periculo vitæ. Nec exceptioni locus est, nisi ubi morali certitudine constat de bono statu ægri, v. g. quod paulò ante ægritudinem confessus sit, & quod timorata & sollicita sit conscientia, nec nisi veniali culpæ obnoxius: ex altera parte verò evi lens sit contagii periculum, nec facile futurum, ut si Parochus inficiatur, de alio possit provideri. Tunc enim commune bonum multum præponderat. Hæc tamen non temerè

præsumenda sunt, ut subditus defertur.

Hoc porro adjicimus, in evidenti periculo posse fieri confessionem materialiter non integram a pœnitente & à Sacerdote, parte peccatorum audita, absolutionem impendi: excitando pœnitentem ad omnium quantum in se est contritionem, vel attritionem. Est enim talis confessio formaliter integra, & à Theologis solet recenseri causa sufficiens faciendi confessionem non integram materialiter, periculum vel spiritualis vel corporalis salutis alicui impendens. Ita Suarez & alii.

Ulterius sic asserit Hurtadus de Pœnit. disp. 9 diffic. 10. *In periculo mortis, ut in peste, bello, aut naufragio, quando periculum imminens aliud non admittit, possunt omnes simul signo aliquo, ut genuflexione, significare se peccasse sic in communi & de eo dolere; ut continget, si Confessarius dicat omnes qui volunt à peccatis absolvi, genuflectant. Et tunc etiam possunt omnes simul absolvi hac forma: Ego vos absolvo à peccatis ve-*

stris,

stris. Ita ille, sed tu pondera. Nam inter milites audio solitum, ut instante prælio, solâ manus extensione, tota cohors aut legio absolutionem petat. Sed quâ detur securitate, nescio, quia plurimi inter eos nonnullis antè diebus scientes se in periculo, ne quidem de confessione cogitant.

Quæritur postremò, quantum ad Extremam Uctionem, an in periculo contagii sufficiat unica unctio in aliqua corporis parte? Resp. hanc opinionem probabilem omnino esse, tum ob auctoritatem Doctorum, tum ob multiplicem rationem, ideoque à nonnullis hoc tempore in praxi usurpari.

Primò quidem auctoritatem illi dat Pastorale Gebennense R. Franc. de Sales Episcopi, doctrinâ & sanctitate spectatissimi, in illo sic lego in tit. de Extrema Uctione: *In morbis contagiosis, ut periculum vitetur, sufficit inungi organum sensus magis ad unctionem expositum dicendo: Per istam unctionem & piissimam suam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti*

per visum, auditum, gustum, odoratum,
 & tactum. Idem habet Pastorale Mech-
 liniense anno 1589, quamvis id omis-
 sum sit in editione 1607, apud More-
 rum suasu ut apparet quorundam Lo-
 vaniensium Doctorum, contrariam
 opinionem sectantium. Idem habet
 etiam Pastorale Ruramundanum im-
 pressum circa annum 1589. Item pa-
 storale Bartholomai ab Aula, per Theo-
 logos aliquos nov. probatum anno
 1573. et hujus opinionis sectatores fue-
 re Io. Hesselius, celebritas Lovanii Do-
 ctor, & Io. Molanus Tract. 4. Theol.
 pract. Accedit auctores Octavii Tri-
 caricensis Episcopi, per Germaniam, &
 Belgium. Nuntii Apostolici in Direct.
 Ecclesiasticæ disciplinæ, ubi sic ait: Et
 si ordinariè sint inungenda singula sin-
 gulorum sensuum loca, nec nisi gravis-
 sima necessitas cogat aliter faciendum;
 constabit tamen Sacramentum, & ad
 evitandum contagium suffecerit, si in-
 ungatur sensus organum magis exposi-
 zū, dicendo: per istam unctionem & piis-
 simam misericordiam suam indulgeat
 tibi

TRACTATUS VI. 651

tibi Dominus, quidquid deliquisti per
visum, auditum, gustum, odoratum &
tactum. Idem sequuntur aliqui recen-
tiores, inter quos Franc. Silvius in Sup-
plem D. Thomæ. Consulunt verò, ut un-
ctio fiat in Capite; quia ibi maximè vi-
gent sensus.

Secundo cõfirmatur ratione defam-
ptâ ex Trident. dicente, *Ecclesiam Ro-
manam non aliud observare in admini-
stranda unctiõne quantum ad ea qua ad
hujus Sacramenti substantiam perficiunt
quàm quod B. Iacobus præscripsit.* At il-
le unctiõnem præscribit, non ve-
rò unctiõnem quinque sensuum, ergo
illam observat Ecclesia ut essentialem,
non illas, alioqui observaret aliquid
quoad substantiam, quod Apostolus
non præscripsit. Addi deinde potest,
quod ex more Ecclesiæ, ungantur non
ipsa sensuum organa, sed partes vici-
næ, ut patet in oculis, & auribus, & or-
gano gustus: ut etiam magis constat
in iis qui aliquo sensuum organo sunt
orbati; ergo censet Ecclesia, non esse
de essentia, ut sensuum loca ungan-
tur;

tur; sed sufficere ad essentiam, partem aliquam corporis inungi, cum ubique sensus vigeant, quamvis organa, si possit fieri, ad expressiorem significationem debeant ungi. Denique *Florent.* & aliâ Concilia enumerant septem unctiones, nec distinguunt: & ita ex illis nequit colligi quod quinque magis sint de essentia, quam septem & per consequens non repugnant assertioni, quæ unicum dicit perficere essentialiter Sacramentum.

CAPUT IV.

De materia Extreme Vnctionis.

Queritur, an benedictio Episcopi sit necessaria essentialiter ad materiam Sacramenti Extreme Vnctionis? Resp. affirmare id communem Theologorum sententiam, paucis exceptis, inter quos *Em. Sà. V. Extrema Vnctio*, & *Victoria in Summula n. 217.* qui communi opinioni opponit in verba Iacobi nullam fieri benedictionis mentionem. Favere etiam potest quod tradit *Arcadius l. 5. de Sacram. c. 2.* & post eum *Prepositus*, quod Presbyteri in Ecclesia

Orien-